

I. N. 7.

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

SUMMARIIS-
MO POSSESSORIO

Quam

Ex Decreto & Autoritate Magnifici Jctorum
Ordinis in Celeberrima Academia Wittebergensi

SUB PRÆSIDIO.

DN. GOTHOFREDI SVEVI

JCti, Cod: Professoris Publici, Collegij Juridici nec

non Curiz Provincialis & Consistorij Ecclesiastici, ut & dicasterij

Lusatiz Inferioris Affessoris gravissimi, Patroni sui ut meriti,
ita demerendi

PRO LICENTIA

*Summos in Vtroq; Jure consequendi honores publico Exa-
mini submittere*

CHRISTIANUS B E H S E I

Curiz Provincialis & Consistorij Ecclesiastici

Advocatus Ordinarius

Addiem 12. Julij

Horis ante & pomeridianis

In Auditorio Majori

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typographi

ANNO M D C L V.



MAGNIFICO RECTORI VIRI S

Plurimum REVERENDIS, AMPLISSI-
MIS, Consultissimis, Experientissimis Excel-
lentissimis, Clarissimis, Dnn. Antecessoribus
& Patribus Inclytæ hujus Academiae Cele-
berrimis &c. Dnn. Patronis & Evergetis
æviternum colendis

S. & O.

Diu multumq̄, Magnifice Rector, nec non ceteri Pa-
tres Academiae Conscripti, Domini Patroni & Eu-
ergetis summoperè colendi, diu multumq̄, inquam,
mecum deliberanti, cui unquam quale quale hoc
solemne Specimen pro more inscriberem, successit tandem, nul-
li plus, quàm Vobis, me debere, neminemq̄, magis, quàm Vos,
jure suo à me hoc postulare. Etenim Exercitium ipsum si con-
sidero, jure hoc Academia Vra à me exigit. Illa quippe studio-
rum meorum Mater; hic prima eorum semina jeci, progressus
feci, met am attigi. Non immerito itaq̄, illud tanquam fructum
quendam eò, unde prognatum, referre non dubitavi. *VV*ms.
Magnific: Amplit: atq̄, Excell: si suspicio, præteritorumq̄, re-
cordor, Vestra in me merita & beneficia satis magna existunt, ut
nunquam sufficienter collaudare ea, nunquam referre possim.
Nullus quippo Vestrum est, quin vel Preceptoris loco, vel aliàs de
studijs meis valdè meritis, vel etiam singulari me affectu ami-
citiæq̄, prosequutus fuerit. Insuper in Vestro gremio quasi
constitutus adhuc foveor, tutelâ, privilegij beneficijsq̄, Aca-
demia utendo fruendo. Futura tandem si prospicio, quotus
quisq̄, erit, quo de meliora, Benevolentia Vestra fretus, sperare,

A 2.

vel

vel promittere mihi meisq; possim. Jure meritoq; ergo VV.
Magnif: Ampl: & Excell: hoc quale quale Exercitium dedi-
care & debui & volui, demissè illud ad pedes Vestros ponendo.
Suscipite igitur, Magnifice Rector, nec non ceteri Patres Aca-
demici, Dnn. Patroni & Euergetæ summè Honorandi, placido
ac sereno Vultu munusculum hoc chartaceum quantum quan-
tum, in Vestri scil: admirationem, observantiæ monumentum,
debitaq; gratitudinis signum. Oro Deum ter Opt: Max:
ut Almam hanc Leucoream semper sartam tectam conservare,
Vobisq; Euergetæ, beneficia in me collata quàm copiosissime re-
fundere, nec non omnes & singulos incolumes florentesq;
quàm diutissime prestare hic, actandem felicitate aeternà co-
ronare velit. Quod superest, Patroni, etiam atq; etiam rogo,
ut ulterius favere mihi, vmeosq; parvulos in Clientum vestro-
rum album referre haud dedignari velitis. Valetè, floretè.
Viteberge, 19. Junij Anno 1655.

VV.

Magnif:

Amplit:

Excell:

Observantissimus

Christianus Wehse
Cur: Provinc: & Consi:st:
Eccl: Advoc: Ord:



IN NOMINE DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI

ad omnes actus semper progredimur *l. 1. & 2. Cod. de
off. pref. Prat. Afr. & proem. Instit. Imper.*

Prooemium.



Uod Jctus Ulpianus de Restitutio-
nis in integrum materia effatus est, utili-
tatem ejus non egere commendatione,
ipsam enim se ostendere; *l. 1. ff. de restit. in
integr.* Illud de Possessorij judicio non
immeritò quis dixerit. Quanta enim
praestantia, quanta utilitas ipsius sit, cum ex jure constat
satis, tum ij praecipue norunt, in foro qui versantur. Nul-
la enim in praxi tam in superioribus Tribunalibus
quam interioribus subfellijs frequentior quam posses-
sionum controversia est. *Dn. Carpz. Resp. lib. 1. tit. 9. resp. 9.*
Cum itaq; in jure nostro frequentiora. *l. 1. ff. de susp. tut.*
& quotidiana *l. 25. ff. de lib. leg.* tractanda potissimum sint;
& ex Electorali Rescripto mihi cum Alumno quondam,
tum verò in numerum Advocatorum Inclytæ Curia hu-
jus provincialis clementissimè recepto, Licentiam in ju-
re assumendi necessitas incumbat; hac de materia in me-
dium aliquid proferre pro virili constitui. Ventila-
tur autem omnis possessionis controversia judicio
possessorio: id quod vel ordinarium seu plenarium;
vel Extraordinarium seu Summarium sive sum-
mariissimum. Illo, juris ordine servato, & possessionis

causâ plenariè cognitâ; in hoc contrâ proceditur. Hac viceitaq; Divinâ favente gratiâ, de Possessorio Summario seu Summarijsimo nostra instituta Disputatio est. Dispscimus autem illam in duo membra, in *ὀνοματολογία* scil: & *πραγματολογία*, seu, definitionem nominalem & realem; illa Etymologiâ, Homonymiâ, & Synonymiâ absolvitur; hæc ejusdem causas, effectum, affinia & contraria comprehendit. Sit ergò,

Membrum I.

De

ONOMATOLOGIA.

S

§. 1. Onomatologiam itaq; & quidem Etymologiam, quod attinet, Possessorium nostrum Judicium idè Summarium, seu Summariissimum, *Neviz: Conf: 81. n. 7. Alciat: resp: 386. n. 1. in Cagnol: in X. pari. n. 6. ff. de Reg: Jur: appellatur, quòd in eo Summariter, compendiosè, ordine & processu juris non observato, celeriter procedatur: clem: sepè de V. S. & clem: dispendiosam de Jud: l. si coloni C. de agric: & cens:*

§. 2. Etymologiam Homonymia excipit. Habentur equidem ejusmodi causæ summarix plures, ut videre licet in *ord: tam: p. 3. c. 3.* easq; congesserunt *Marant: p. 4. dist. 9. Zang p. 1. c. 1. n. 55. & seqq. Jac: Schult: obs: 3. & alij;* hoc tamen nostrum *κατ' ἑξῆς* Summarij nomen apud Interpp: meretur: *l. 13. §. 3. ff. de usufr: l. fin: ff. de off: proc: Cas:* Multò enim dignius, majorisq; momenti est, quàm reliqua judicia summaria; in hoc quippè si moræ neccitantur, pax & tranquillitas Reip: magis turbari & labefacti: ri potest: adeoq; maturius & levato penitus velo in illo, quàm in reliquis ferè, progredi oporteat,

§. 3. Undè etiam Synonymicè *momentaneum* vocatur, primò quidem à momento seu temporis brevitate, *Isid: Etym: c. 25. lib 5.* quòd nempe in nullam moram produci debeat. *l. 1. C. si per vim l. 3. C. unde vi.* Deinde quod sententia in eo lata Interlocutoria sit; nec perpetuum sed temporale saltem præjudicium afferat, quod postea in Ordinario possessorio vel petitorio
repa

reparari possit. *Gail: l. 1. c. 7. n. 6. Myns: Cent. 6. O. 13. n. 5. Covarr. pp. 99. c. 17. n. 1.*

§ 4. Hinc quoq; possessio illa, quæ in hoc iudicio alteri decernitur, non certa & perpetua, sed temporaria tantum, fiduciaria & veluti depositaria, adeoq; repetibilis est *Vult: ad d. l. un. C. ubi de poss. n. 29. Raucbb: p. 2. 9. 6. n. 69.*

§ 5. Belgis vocatur *provisionale remedium*; Gallis, *Recre-dentia*, vel *casus Novitatis*; Malsveri: *in pract. tit. de possess. lis vin-dictiarum ex Bud: Gail: l. 1. c. 5. n. 4. Contard: rubri. l. un. C. si de mom: poss. n. 30. Covarr: d. loc*; Hispanis *Interim Covarr: d. loc*. In Cam: Imper: *causa litigiosa vel momentanea possessionis*; processus *in-formativus*, *Gail: d. loc: & obs. 5. n. 3. Rol: à Vall: vol. 4. Conf 8. n. 24.*

§ 6. Non inconcinne quoq; docendi gratiâ *interdictum conservandæ possessionis* appellari potest, cum *Bl. in c. 1. in fin. de prohib. feud. al. Ripa, & Bologn: in l. 12. n. 48. & 442 ff. de acquir. poss: l. 3. §. missum ff. de Carb. edit: Covarr: d. loc: vel Retinenda*, cum eodem *Bl. in l. Ordinarij C. de rei vind: licet minus propriè, quatenus Retinendæ ordinarij respicit.*

§ 7. Hæc de Onomatologia; sequitur pragmatologia; seu definitio realis, quæ causas & reliqua possessorij nostri continet.

MEMBRUM II.

De

PRAGMATOLOGIA,

Tit: I.

De Definitione.

§

§. I. Definiri Summarissimum nostrum possessorium potest, quod sit iudicium legibus, commentationibusq; Interpp: introductum, in quo iudex vel imploratus, vel etiam ex officio, juris ordine vel processu non servato, celeriter procedit, & summarie possessionis litigiosæ causâ cognitâ, alterum litigantium in possessione momentaria constituit, donec in possessorio ordinario causa veræ possessionis, vel proprietatis in petitorio, plenariè *Menoch. d. rem. ult. rei. poss: n. 1. Capic. decis. 55. & 196. Gastrens. vol. 2. conf 3. Covarr. d. loc. Mar. p. 4. dist. 9. n. 43. in fin.*

in fin: ord: Camp: a. t. 2. Vult: d. loc. n. 29. Frid. Mind. d. process. lib. 2. c. 44. & 45. ventiletur & finiatur. Quæ definitio ex subseqq. clarius & distinctius apparebit.

Tit. II.

De Causa Efficiente.

§. 1. Causa efficiens hujus judicij Principalis Remota est jus Civile, text: in d. l. 13. §. aquisissimum ff. de usufr: ubi decisum, judicis officio incumbere, rem ita componere inter litigantes, ne ad arma & contentionem accedant. l. si coloni G. de agr: & consil: lib. 11. ibi; celeri reformatione, l. liberis §. 7. fin: ff. de lib: caus: ubi habetur; oportere summam tractare de possessione libertatis vel servitutis, ut constet, quis actor sit, quis reus, & quid lite pendente agendum d. l. fin. C. de off: proc: Cas. l. si super possessione §. C. de transact: l. pen: ff. de ag. quot: & est. l. 1. §. 2. ff. de itin: actuz, priv: Nec non id secutum jus Canonicum c. cum vni: sent 6. X. de Instit: Ubi Pontifex Innocent: III. decidit, Archidiaconum Richimundia in possessione juris instituendi ministrum tuendum esse, donec ex parte Eboracensis Archiepiscopi contrarium probetur, quod jus instituendi ad illum solum tanquam Diocesana spectet.

§. 2. Causa efficiens propinqua sunt Juris Interpretes: ijq; potissimum Practici: Veluti Jac: Butrigar: in l. incerti C. de Interd: Lanfranc: in rubr: de caus: poss: & propr: Paul: Castrensis d. Consil: 3. vol. 2. Malverius in pract: vir. de possessorio. Curt. Sen. Conf: 60. Paris. Conf: 163. lib. 4. Plotus in reper: l. si quando Cod. unde vi. §. 3. n. 37. & seqq. Capic: decis. 55. 96. & 189. Covarr. pp. 99. d. c. 17. & alij, vid: Dn: Carpz: lib. 1. Resp: 1. 2. r. 9.

§. 3. Impugnat autem & reprobat Franc. Sarmient. lib. 2. select. c. 13. distinctionem judicij possessorij in ordinarium & summarium seu summarissimum; quasi scil: nullum ejus vestigium in universo jure extet, sed Purum commentum Interpretum sit; statuitq; possessorium summarissimum ab interdico uti possidetis, nil quicquam differre d. loc. n. 9. Eamq; divisionem in jure inauditam esse, affirmat quoq; Baro ad tit: Instit: de Interd. Nec non confictam, fallam, fucatam, & magis Dd.

tom.

somnio, quam ullibi in Jure fundatam asserit *Petr. Frid. Mind:*
tr. de interd. Comm: 13. n. 24. & seqq:

§. 4. Et, si verba quidem spectemus, | distinctionem,
istam expressi juris non esse, facile Sarmiento concedendum;
verum rem ipsam si consideremus, divisionem illam juris ra-
tioni optimè convenire, nemo negabit unquam. Ulp: quidem
in leg. 1. §. 3. ff. uti possid. sic scribit; sed si inter ipsas contendatur
quis alteruter se magis possidere affirmat, tunc si res soli sit, in
cujus possessione contenditur, ad hoc interdictum uti posside-
ris remittitur.

§. 5. Verum enim verò, quoniam interdictum uti pos-
sidentis ordinarium est, adeoq; juris ordine servato in eo proce-
dendum; periculum autem sit, interea dum cognoscitur, uter
possideat, ne rixæ, tumultus aut cœdes inter litigantes oriantur,
certè Judex prudenter aget, re summam cognitâ, confe-
ssim alterum ex litigatoribus possessorem interim declarando,
donec in ordinario possessorio plenius res cognoscatur *arg. d.*
l. 13. §. 3. equis. ff. de usufr. Menoch. in rem. d. ult. retin. n. 1. & seqq. Fa-
chin: lib. 9. contr. c. 15. Dn. Carpz. d. lib. 1. t. 2. resp. 9. Quæ res ab
Interpp: summarissimum seu momentaneum possessorium
dicitur.

§. 6. Eumq; processum à summa antiquitate repetitum
ex Cicerone Orat: pro cecin: annotat *Dn: Carpz. d. loc. n. 15.* Quo
loco Cic: in terminis summarissimi possessorij subsistens, super
ordinario possessorio & petitorio his verbis protestatur: Non-
dum de tuâ causâ (principal) quæro, nondum de jure posses-
sionis disputo, &c. Confirmat constitutio Imperij *de litig: poss:*
p. 2. ord. tit: 21. in fin: ibi; in possessorio plenario, quod determi-
natâ momentaneâ possessione salvum adhuc sit &c.

7. §. Et clarè quidem hinc constat, diversa esse Interdi-
ctum retinendæ, & hoc possessorium summarissimum; illud
enim principaliter & ab initio proponitur, quis possessor verus
& certus sit & lite pendente super proprietate, in judicium dedu-
citur, *l. 12. §. 1. ff. de acquir. poss.* ac verè possessionem respicit, de
eaq; & super ea pronuntiandum est Id quod vim perpetuam
habet, ita ut possessor defendatur & remaneat in possessione.

B

quo-

quousq; pars altera in petitorio obtinuerit; l. 35. ff. d. *acquir poss.*
Hujus autem nostri non ea vis & natura est, ut sententiæ super
possessione plenâ, certâ & irrepetibili feratur; vel ut definiti-
vè pronuncietur, quis, num Actor, num reus, verè possessor sit:
Sed hoc tantum agitur, ut actor vel reus lite pendente, quia
sit in possessione vel quasi, minimè in eâ turbetur; absq; præju-
dicio tamen juris alterius partis, tam in possessione (certâ scil:
& plenâ) quàm in proprietate; super qua re sententia interlo-
cutoria fertur, uti hæc explicantur à Covarr: d. loc. c. 17. n. 1. *Castr:*
d. loc. n. 1: add. *Mench. d. loc. n. 7. & seqq. cum ibid: alleg. Dn: Carpz:*
d. l. 1. t. 2. r. 9.

§. 8. Hæc de causâ efficiente principali; sequitur mi-
nus principalis, impulsiva scil: quæ vel interna vel externa.

§. 9. Interna seu *πρόνοια*, quæ JCos, Imp: & pra-
cticos ad celerem hunc judicij modum inroducendum impu-
lit, est justitiæ administratio, nec non Reipublicæ salus, quæ
Jurisprudentiæ nostræ finis. Admodum enim frequens in Re-
publ: de possessionibus cum periculo armorum conjuncta
contentio est; qua ratione turbari & deturbari Respubl. solet,
id quod præcaveri & averti omninò expedit.

§. 10. Hinc in ejusmodi casu, cum nempe neuter li-
tigantium actoris partes subire vult, sed in possessione, sese in-
vicem turbando & inquietando, sua manu & autoritate pro-
priâ se tueri, vel eam armatâ manu apprehendere, vel alteruter
spoliatam recuperare nituntur, adeoq; periculum sit, ne res ad
arma veniat, magistratus, licet non imploratus, ex officio par-
tes suas, decernendo mandata pœnalia de non turbando, inter-
ponit, arg: l. 13. ff. de usufr. *Castr: d. loc. n. 2. Men. d. loc. n. 12. Mind: de*
procef. hb. 1. c. 4 §. Gail: d. l. 1. O. 5. n. 2. Dn. Carpz. d. loc. resp. 10. n. 10.
seqq.

§. 11. Externa est partium de possessione vel ad piscen-
da, vel retinenda & conservanda, vel recuperanda, contenden-
tium imploratio. Judex enim in causa privata regulariter of-
ficium suum non impertitur, nisi imploratus, l. 4 §. 8. ff. de dam:
inf. c. *bonæ memoriæ de postul: prelat: cum gl. ibi in verb. curavimus.*
Et hæc de causâ efficiente.

Tic

DE MATERIA in qua, & circa quam, seu Sub-
jecto & Objecto.

§

§. 1. Materia in qua seu Subjectum sunt personæ Judicium hoc exercentes; Judex scil: competens, & partes de possessione litigantes.

§. 2. Ille est, in cujus territorio res, de cujus possessione controvertitur, sita est, *l.un. C.ubi de poss. agi oport. l.un. C.ubi de hered. ag. Zang. de exc. p. 2. c. 1. n. 312.*

§. 3. Vel ubi Reus domicilium habet, ita ut electio sit Actoris, *l. fin. C.ubi in rem act. Ubi Vult. & d. l.un. C.ubi de poss. ag. op. arg. l. 19. §. 9. de jud.*

§. 4. Vel deniq; ubi vis & turbatio facta est, *d. l.un. C. ubi de poss. Zang. d. loc. n. 328. & seqq.* Vult. quidem *d. loc. n. 42.* in hoc nostro summarissimo locum rei sitæ saltem requirere, verum ejus rei sat rationis ostendere non videtur.

§. 5. Personæ litigantes sunt eæ, quæ legitimam personam standi in judicio habent: *t. t. C. qui legit. pers. stand.* Sive naturaliter & civiliter simul possideant, sive naturaliter tantum, *Menoch. d. loc. n. 14. & 15.* Cum enim hic possessioni spoliatae restituendus sit, *id. Men. recup. poss. rem. 1. quest. 5.* multo fortius in eâ conservandus, *id. d. ret. rem. ult. n. 15.* Idem juris est in Detentoribus *l. 37 ff. de don. ubi Castr. Covar. d. loc. n. 5. vs. sit sanè. Men. d. ret. rem. ult. n. 18 & recup. rem. ult. n. 21. Pruckm. d. conf. 32. n. 54.*

§. 6. Non autem datur civiliter tantum possidenti contra naturalem possessorem; sed erit ipsi agendum interdictis ordinarijs & possessorijs, veluti unde vi, aut uti possidetis *arg. l. clam. 6. §. un. ff. d. acquir. poss.* bene tamen contra civilem, corporali rerum possessione destitutum, quo casu pares, *Cov. de loc. n. 5. Masverius d. loc. n. 42. Men. d. ret. rem. ult. n. 16. & 17. cum ib. alleg.*

§. 7. Quin & illi possessori datur, contra quem pro parte adversa militat præsumptio juris communis; veluti, viadicant

canti sibi jus pascendi in alieno prædio, pro quo libertatis præsumptio est, id: *Cov. d. loc. vers. undecimo. Capic. decisi 89. Men. d. loc. n. 21. & seqq. & recup. rem. ult. n. 33.*

§. 8. Materia circa quam seu objectum summarissimum nostri est ipsa causa possessionis controversæ.

§. 9. Cum autem de possessione jure prætorio tripliciter agatur, vel de adipiscendâ nunquam habitâ vel de recuperandâ amissâ, vel de retinendâ turbatâ; Utrum Summariissimum nostrum in omnibus hisce casibus locum habeat, dubio non caret, *Rauchb. p. 2. q. 6. n. 73. & seqq.*

§. 10. Alij retinendæ tantum possessionis interdicto hoc tribuunt, veluti refert *Contard. ad b. tit. intell. C. si de mom. poss. su. appel. Men. d. rer. rem. ult. n. 7. Donell. lib. 17. Com. c. 17. Rauchb. d. loc. Idq; etiam hodiè frequentissimum, vid. Vult. in d. L. un. n. 31. C. ubi de poss. ag. op.*

§. 11. Alij illud ad spoliatam, adeoq; recuperandam, possessionem restringunt, *Vult. d. loc. n. 31. 34. & seqq. junct. l. 8. & t. C. unde vi. Wesemb. Conf. n. 13.*

§. 12. Quidam generalem hujus remedij usum, adeoq; in causâ possessionis adipiscendæ quoq; locum habere asserunt, *Vult. d. l. n. 36. Gail. l. 1. O. 5. n. 8. Frid. d. l. i. c. 44. tb 3. Vid. Contard. d. l. tit. ampliat. 5. q. 5. n. 96. Quò in specie referunt l. fin. C. de edict. D. Adr. toll. Interdictum Salvianum, quorum bonorum &c. Rauchb. d. loc.*

§. 13. Concludimus ergò ex his, in omni tam adipiscendâ & retinendâ, quam recuperandâ possessione judicio huic locum esse, salvo aliorum judicio. *Contard. d. loc. tit. intell. n. 1. cum ib. alleg. & t. t. ampl. n. 2. cum seqq. tit. n. 34. 35. 36. & seqq. Marant. 2. aff. n. 205. Quanquam ut plurimum hodiè prima opinio usu forensi obtineat.*

§. 14. In Camera quidem Imperali summarissimum istud, nec in quolibet judicio retinendæ, vel etiam simpliciter turbatione, ubi non subest metus armorum, sed saltem in casu litigiosæ possessionis, & causa spoliij, & quidem inter immediatè Imperio subjectos, locum habet. *Ord. cam. p. 2. tit. 21. & p. 3. t. 3. Gail. de obs. 6. & 7. Myns. C. L. O. 96. Mind. d. l. i. c. 43. In alijs autem judi.*

judicijs etiam extra istas causas, & inter cujuscunq; status vel conditionis subditos mediatos, tam nobiles, quam plebejos & rusticos, coram ordinarijs quoq; judicijs & magistratibus redditur *Florid. loc. §. 3. n. 35. seq. Gail. d. d. ll. Raub. d. loc. n. 74.*

§. 15. Idq; procedit, si res, cujus de possessione litigatur, sit Corporalis, eaq; vel mobilis vel immobilis; siue Incorporalis, ut jus aliquod, veluti jurisdictio, jus venandi, pascedi, collectandi, ædificandi, annuorum reddituum, decimarum &c. Id quod ex materia *Interd. & Dd. alleg.* constat. Et hæc quoq; de Materia; succedit forma.

Tit. IV.

De

FORMA.

§

§. 1. Formam Summarissimam nostri in processu ponimus. Proceditur scilicet: in eo summarie, siue summarie non plenarie causæ cognitione habitæ, veluti dici solet, *simpliciter, de plano, sine figura & strepitu judicij, ordine juris non servato, sine longo suffragmine litis, velo levato &c. d. Clem. Sap. de V. S. Clem. dispensationis de jud.* Quas voces & formulas explicarunt, *Br. in Extravag. ad reprimendum. Bl. ad l. 9. §. 3. ff. de off. procons. Felin. in c. dilecti 6. X. de jud. Mar. p. 4. dist. 9. Dambud. pr. civ. c. 22. & seqq.* omnes eò intendentes, solennem illam faciem modum & ordinem processus ordinarij in hoc judicio cessare; adeò ut etiam solennitates substantiales juris positivi remissæ censeantur, & causa decidendi possit secundum jus gentium, solâ veritate facti inspectâ, manûq; quod dicitur, regiâ, expediri, *Mar. d. loc. & Dd. ibid. alleg.*

§. 2. Sed cum generalitas obscuritatem pariat, ad specialia descendemus, distinctè ostendendo, quænam solennitates & requisita processus Ordinarij in hoc Summarissimo omitteri possint, & quæ non possint. Cæterum requisitorum non omitteendorum, quædam simpliciter & in totum, quædam verò saltem secundum quid, partibus scilicet: in vitis, vel nisi à iudice suppleantur, omitti nequeunt.

B 3

§. 3. Simi

§. 3. Simpliciter irremissibilia sunt sequentia (1.) im-
ploratio officij *Judicis*, ut plurimum. Quanquam etiam inficias
ire non possimus, aliquando motu proprio, partibus id non
petentibus, judicem utilitati publicæ hac in parte succurrere
posse, & etiam debere *d.l. aquis. ff. de usufr. supr. tit. 2 §. 10.*

§. 4. Hæc autem judicis requisitio per qualem qualem
petitionem cum simplici facti narratione, sine aliâ conclusio-
ne fieri potest, modò deliberare reus possit, cederenè, an con-
tendere velit, *Mar. d. p. 4. dist. 9. n. 12. & D. ibid. alleg.*

§. 5. Aded, ut etiam petitio generalis, incerta, obscu-
ra & inepta sufficiat, dummodò ex ea intentio actoris animad-
verti, reusq; liti parare se possit. *Mar. d. loc. n. 12. & 14.* Nec
quidem in scriptis, sed solo verbo fieri, ac per Notarium judi-
cij excipi & ad acta redigi potest, *d. cl. sepè Mar. d. loc. n. 12.*

§. 6. (2.) Citatio; hæc etenim, ut in omni judicio, ita
nec in nostro Summarissimo intermitteri, tanquam fundamen-
tum §. *fin. Inst. de pen. tem. lit. c. 11. X. de prob. nequit l. 47. ff. de re
jud. l. 39. ff. de adopt.* Est enim illa juris naturalis *clem. pastoralis*
*2. §. 8. de re jud. Mar. p. 6. c. de citat. n. 3. Schurff. cons. 9. n. 6. probatur
ex Gen. 3. v. 8. & c. 38. 24. adeoq; nec hic omitti debet Dn. Carpz.
d. l. 1. resp. 10. n. 21. nisi periculum armorum subsit; quo casu,
omissâ citatione, à præcepto incipere judex potest.*

§. 7. Causam autem citationi, quamvis in genere sal-
tem, inferri oportet, *c. 2. de dilat. C. primates §. 9. 2. c. 6. de dol. &
contum. Vant. de null. ex def. cit. n. 50 Gail. 1. O. 51. Myns. 5. O. 85. Dist.
Gl. ad d. cl. sepè verb. Citatione m.*

§. 8. (3) Habilitas & legitimatio personarum litigan-
tium; hæc quippè, tanquam basi & columnâ quadam, defici-
ente, judicium corrui & redditur nullum; siwè in Ordinario
siwè Summario versetur, *Vant. tr. de null. rubr. ex def. in ab. n.
3 & seqq. Mar. d. p. 4. dist. 9. n. 38.*

§. 9. (4) Probatio d. *Clem. sepè d. V. s.* In probatione
quippè omnis vis & potestas processus consistit, ejusq; quasi
anima habetur *Damb. pr. Civ. c. 157. adeoq; nec in nostro Sum-
marissimo omitti potest. Vant. de null. ex def. prob. n. 31. cum
seqq.* Ex probatione enim causæ cognitio & examinatio de-
scendit,

scendit, quæ ad naturalem justitiam pertinet. Naturali namq; rationi convenit, ut quis prius cognoscat id, super quo judicare debet; adeoq; ut causæ cognitio, & per consequens probatio, quâ sine cognitio fieri non potest, juris divini censetur. *Abb: in c. 1. de causis poss. & propr: Mar: d. p. 4 d. 9. n. 10. & eâ intermissâ sententia sit ipso jure nulla, ex Br: & alijs Vant: d. loc. n. 30. & seqq:*

§. 10. Non autem plenaria, sed summaria saltem, causæ cognitio, adeoq; nec plenæ & perfectæ probationes, verum leviores & semiplenæ, tantummodò hic requiruntur *ord: Cam: p. 2. c. 21. ibi;* Summariè ohne einigem gerichtlichen Proceß oder weitläufftiger ausführung der Sachen &c: *Castr: d. Conf: 3. n. 2. Masuer: d. l. n. 24. ibi;* in hoc judicio summatim procedendum, brevi tempore, & parvo testium numero, *Cont. d. l. lim. 2. §. 1. n. 12. Men: d. rem. ult. n. 33. Rauchb: d. loc. n. 64 Pruckm: Conf. 23 n. 15,* Adeoq; unicus testis juratus, *Dn. Carpz. Jurispr. for. p. 2. c. 7. def. 16.* vel etiam non juratus, cæteris causæ circumstantiis concurrentibus, sufficere potest *Dn. Carpz. d. loc. n. 6 vid. infr. §. 27.*

§. 11. Fit porro probatio in hoc judicio, de jure communi cum primis & ulu magis fori, quàm necessitate quadam per positiones seu articulos hinc inde exhibitos, *d. clem. sepe vers. & quia. Gail. d. lib. 1. O. 6. n. 8.* eosq; articulos, vel partes exhibent, uti dictum, vel Judex ipse efformat. *Pruckm. d. l. n. 19. Gail. d. O. 6. n. 3. & 4.* Ubi totum istum processum delineat.

§. 12. (5.) Sententia declaratoria sive interlocutoria, Judicis respectu scil. principalis judicij *Dn. Carpz. d. lib. 1. resp. 12. Capit. dec. 55. Covarr. d. c. 17. Men. dist. rem. ult. n. 46. Pruck. d. loc. n. 28.* quis possidere interim debeat, cæterum sententiam istam definitivam quoq; respectu possessionis temporariæ assertæ, appellari posse non ambigitur.

§. 13. Et hæc sunt requisita illa ex Jure Gentium descendit, adeoq; etiam in nostro Summarijsimo intantum necessaria, ut altero eorum omisso, sit ipso jure nullum. *Vant. Mar. & alij dd. ll. sequuntur,* quæ secundum quid, partibus scil. contradicentibus, vel si addenda esse Judici videantur, omitti non possunt.

§. 14.

§. 14. Talia sunt (1) Induciæ deliberatoriæ; Quamvis enim Judex litem, quantum possibile, contrahere, & dilationes amputare debeat *d. Clem. sepè, Mar. d. l. n. 21.* ex tamen adversâ parte petente, vel judice arbitrante, prorsus omitti non debent, *Rota, decis. 33; gl. in d. Clem. sepè verb. non exigat, Men. lib. 2. arb. jud. qq. i. cas. § 2.*

§. 15. Hinc ad probandum exceptiones dilatorias ad minimum una concedenda dilatio, *Capp. decis. Ut & in testimonio productione. Covarr. d. l. n. 4. Valasc. i. Consult. 77. n. 15. refert. Pruckm. d. l. n. 59.*

§. 16. Id quod etiam de his exceptionibus dilatorijs intelligimus, quæ in ordinario processu post litem contestationem quoq; opponuntur. *Zang. de exc. p. 1. c. 2. n. 18.*

§. 17. Undè (2.) partes exceptionem Judicis suspecti allegantes audiendæ, sive in initio, sive post accepti iudicium, opponatur, *c. 25. X. de off. deleg. l. 32. §. 14 ff. de arbit. Zang. d. l. p. 2. c. 4. n. 6.* Sapientem hæc exceptio defensionem quæ in ratione & æquitate naturali fundata, adeoq; non prætereunda *C. qui suspecti. 3. q. 5 Zang. d. loc.*

§. 18. Sic Tertium intervenientem in hoc iudicio, utpotè, qui in omni causa & in quacunq; parte iudicij de suo jure interloqui potest, audiendum esse, juri consentaneum est, vid: *Vant. tit. quis poss. d. l. de null. n. 20. § seqq.*

§. 19. Laudationi quoq; sive litem denunciationi locum assignamus. *arg. l. 1. l. 9. l. 10. l. 21. C. de vict. cum & aliàs denunciatus ex suâ personâ interveniens audiendus sit, Vant. d. l.*

§. 20. (3) Juramentum calumniæ petitum *Zang. d. p. 1. c. 2. n. 20.* tacitè enim à partibus illud remitti potest. *c. 1. X. de jur. Cal. in 6.* vel à iudice ex officio additum, etiam post conclusionem in causâ, *Gail. l. O. 84. § 85. Mar. p. 4. tit. de jur. Pruckm. d. l.* Et hæc quidem de jure civilis in foro Saxonico verò juramentum Calumniæ generale penitus ab usu recessit *gl. Lehnreche c. 68. Schneid. ad §. 1. inst. de pæn. tem. lit.* Speciale tamen servatur adhuc, veluti in casu delationis juramenti, vel tergiversationis partium, *Ord. pro. tit. von Eyden 13. §. ferner & c. & ti von dem Eydt malit. 33.*

§. 21.

§. 21. (4.) Admittendæ quoque sunt Exceptiones peremptoriæ, de quibus *infra tit. 6. §. 2.* qualis etiam est illa nullitatis super actu die sacro factio; ceu Instrumentorum & testium productio. *Vid. Mar. d. p. 4. d. 16. n. 81. & seqq. & dist. 9. n. 19. Zang. d. p. 1. c. 2. n. 27.*

§. 22. Et hæc sunt quæ secundum quid, partibus scilicet opponentibus, omitti non possunt; sequuntur tandem illa, quæ sine vitio processus, partibus etiam invitis, præteriri possunt. Ejusmodi sunt (1) Solennitas libelli, sufficit enim hic talis qualis cum simplici facti narratione ad acta redacta petitio; ad quam, sicut in Ordinario processu, juxta libellum sententia fertur *d. Clem. sepè Mar: Zanger. Pruck. dd. ll.*

§. 24. (2.) Trina citatio, sive peremptorium Edictum, de Jure Saxonico tribus quaterdenis constans; hoc enim, quoniam de solennitate potius, quam Substantiâ judicij, omitti sine vitio potest. *d. Clem. sepè v. 5. sententiam. l. 1. Cod. si per vim vel al. mod.* Rarè autem hoc tam in isto, quam in alijs Summarijs judicij intermitti videas; verum potius omni actui judicij in omnibus indistinctè causis legalem terminum, eine *Sächf. friff*, uti vocatur, assignari. Qua ratione Lites contra leges & constitutiones, adeoque cum summa litigantium, præsertim Ecclesiarum, aliarumque favorabilium & miserabilium personarum, injuriâ detrimentoque sæpè justo longius protrahuntur.

§. 25. (3.) Litis contestatio, solennis scilicet *d. Clem. sepè.* Vicem enim hujus supplet adversæ partis qualis qualis responsio & contradictio; quemadmodum ex parte actoris qualis qualis petitio loco libelli sufficit; vel etiam illi actus, qui aliàs in processu Ordinario litis contestationem subsequi solent; scilicet: positionalium seu articularum exhibitio, aut meritorum causæ disputatio *Men. Damb. Mar Vant Zang. Gaili: Pruck. dd. ll.*

§. 26. (4.) Adversæ partis emanentis contumaciæ accusatio solennis: Judex enim ad præsentis partis talem qualem petitionem absentem absque ulla sententiæ publicatione pro contumaci habere, & vel deuo decernere citationem, vel, si justa causa fuerit, super ipsâ possessione summariâ decidere & pronuntiare potest, *arg. d. Clem. sepè de V. S.*

C

§. 27.

§.27. (5.) Jurata examinatio testium S. §. 10. b. tit. Men. d. l. n. 39. & arb. jud. qq. 1. q. 26. Zang. d. l. n. 31. Mod. Pist. Conf. §. 1. n. 16. Pruck. d. l. n. 19. Dn. Carpz. Jurispr. For. p. 2. Const. 7. d. 15. & lib. 1. Resp. t. 2. r. 11. n. 7. Multum tamen hoc casu discretioni judicis permittendum, num forsan testes subornati, vel affectione quadam ducti fuerint &c.

§.28. (6.) Publicatio attestationum Cov. d. l. n. 4. Men. d. rem ult. ret. n. 40. Gail. d. l. n. 5. & O. 105. n. 1. Diff. Br. in extrav. ad re. primendum vs. summarie, Rz. Capic. dec. 55. n. 2.

§.29. (7.) Reprobatio personarum & distorum testium Cov. d. n. 4. vs. septimo. Capic. d. dec. 55. n. 4. Virg. de Bocc. d. l. n. 14. Men. arb. jud. qq. 1. q. 32. Gail. d. l.

§.30. (8.) Conclusio in causâ arg. d. d. sepè, p. 6. Conclusione, ubi gl. & Dd. Vant. d. rubr. ex def. proc. n. 45. Mar. d. p. q. d. f. 9. n. 32. Gail. l. 1. O. 107. Zang. d. i. p. 1. c. 2. Judex enim, simul atque de causâ meritis sibi constat, pronunciare potest, Nat. Conf. 121

§.31. (9.) Potest insuper Judex in hoc judicio post conclusionem in causâ interrogare partem ad alterius instantiam d. Clem. sepè p. 5. interrog. quod in Ordinarijs secus, nisi proprio motu ex officio, Mar. d. l. n. 28. & seq.

§.32. (10.) Potest iidem stando proferre sententiam. d. Cl. sepè Mar. d. l. n. 35. Cum in ordinario judicio sedere debeat pro tribunali Nov. §. 2. c. 3. Mar. p. 6. §. & demum n. 48. Vant. d. l. n. 84. & seqq.

§.33. 11.) Sententia autem ferenda est in scriptis? d. Clem. sepè d. V. S. Vant. de Null. sent. tit. ex. ex def. proc. n. 70. Zang. d. tr. Exc. p. 1. c. 2. in fin. Ubi dicit, tutius esse sententiam in scriptis proferre, quod etiam usu in causis summarijs observari. Idque in specie in possessorio nostro summarijsimo hodie practicatur.

§.34. Formula ejusmodi sententiæ apud Gail. d. l. 1. O. 6. n. 5. extat, quòd scil. possessio vel qs. penes victorem manere debeat, donec adversa pars in plenario possessorio vel petitorio contrarium obtinuerit, adjectâ, si judici videbitur, clausulâ, quod è litigantibus victus à violentia vel turbatione interim abstinere debeat, Ord. Cam. p. 2. tit. 21 §. ult. ibi, *zuerkennen*
wel-

welchem theil die possession oder q̄s: einzugeben oder zu inhibiren sey/ sich derselben/ bis zum endlichen Aufser age des endlichen Rechts in possessorio vel petitorio zu enthalte
Vid. Dn. Carpz. Jurispr. Rom. p. 2. c. 7. d. 11. §. 12. & lib. 1. Resp. t. 2. r. 9.

§. 35. In Curia Provinc. Witteb. in causâ possessorii hujus ad petitionem partis mandata pœnalia cum clausula emittuntur, & auditis deinde partibus sententia in hunc fermè modum concipitur; **Auff Mündliches vorbringen in sachen mandatorum pœnalia cum clausulis N. Klägern an einen/ N. N. beklagte andern theils bel geben Hoff Richter und Beysitzer/ diesen bescheid/ aus beyder Partheyen vorbringen so viel zu vernehmen/ das Kläger der streitigen und izo geklagten Jagten sich bishero gebrauchet/ so wird es bey dem d̄ssfalls ausgewirckten pœnal mandat gelassen/ und Kläger bey berürter Jagt/ bis Beklagter in possessorio plenario oder petitorio ein anders ausgeführt/ nicht unbillig geschühret. v. r. w. uti Anno 1629. ab Antecessoribus pronunciatum fuisse: à Dn. Præside percepi. Eademq; verba finalia & decisiva in alijs etiam judicijs frequentissime usurpantur.**

§. 36. Verbis tamen non usque adeò solennibus & brevioribus etiam judicem interloqui posse dubium non est; modò sententia contineat, quis possidere interim debeat, donec principale negotium decidatur.

§. 37. Petitorium tamen in sententia victo reservari expressè necessarium non est, verum silentio præteriti à judice, citra præjudicium partis victæ potest, cum ei ipso jure hac in parte consultum sit. l. 9. C. de sent. Sinterl. jud. l. 3. C. si à non Comp. jud. Cont. d. l. un. tit. notabil. n. 17.

§. 38. Idem quoque statuendum, si clausula ordinarij possessorii in sententia omittatur. Siquidem ordinarium à Summarijsimo longè differt, adeoque sententia lata in uno, parit exceptionem rei judicatæ in altero; quòdnam autem institutum fuerit, ex actis facillè constare potest, *per mod. alleg.*

§.39. Caterum de remedijs suspensivis, & inspecie quidem de Appellatione, an in hoc Summarijsimo locum habeant, magna inter Dd. Controversia est, uti apud *contard. d. loc. rit. intellectus Rauchb. l. d. p. 2. q. 6.* videre est Breviter; Appellationis beneficium in hoc nostro judicio locum non habet... *arg. d. l. un. C. si de mom. poss. app. l. 6 C. quor. app. non rec. Lult. de Appell. rec. Castr. Conf. 39 Fernar. pract. in form. lib. in caus. spol. poss. verb. per vestram. def. sent. n. 3 Mar. d. p. 4. d. 9. n. 43. & p. 6. rubr. de Appell. n. 305. & seq. cult. S. de possess. 2. q. 6. Capic. dec. 55. Men. ret. poss. rem. ult. n. 48. Gail. i. v. 7 n. 7. & v. 147 n. 8 9. Myns cent. 6. O. 13.*

§.40. Id quod & hodiè usus approbat *Dn. Carpz. Jur. For. p. i. c. 19. de 24. & Respons. d. lib. i. tit. 2. r. 13 & 14, Secus de jure Canonico c. 2. X. ut lit. non cont. c. 15. de rest. spol. Clem. 1. de seq. poss. & pr. Clem. un. de caus. poss. & pr. Dd. mod. alleg. Cont. d. loc. lim. 3. Rauchb: d. loc. Gail. i. O. 147. Ves. Cons. n. 20. quanquam & de jure Canon: in hoc nostro Summarijsimo appellari non posse tradat *Id. Contard. ibid. n. 48. & seq. Bender: de Revif. concl. 35:**

§.41. Sed cum jura de appellationibus loquentia locum quoque habeant in Leuterationibus, in foro Saxonico usitatis, *Moll: ad Const. 19 p. i. n. 24. Rauchb: p. i. q. 12. n. 17.* Quaritur, utrum Leuteratio hic admittenda? Regulariter non, *Dn. Carpz: Jurispr: for: p. i. c. 19. d. 24. junct: def: i. ejusd. cap. n. 7.* Multum tamen arbitrio judicis hac in parte relinquendum.

§.43. Nullitatis autem remedium in hoc Summarijsimo nostro non excludi verius *Covarr. d. c. 17. Contard. d. loc. lim. 7. n. 1. & seqq. Vant. tit. quis poss. dic: de null. n. 34.*

§.42. Rejicitur quoque restitutio in integrum minoris vel similium personarum *Capic. dec. 13. Men. d. loc. n. 54. Diff. Contard. de loc. lim: 7. Supplicatio Men. d. l. n. 53. Covarr: d. l. n. 4. Castr. d. Conf. 39. Revisio actorum Alex. in l. fin: n. 28. C. de edit: D. Adr: roll. Rol: à Vall: 2: Conf: 38. Natr: Conf: 172. n. u. P. Reb: in l. quod jus. ff. de re jud.*

TIT: V.

De

FINE ET EFFECTU.

§.

§.1. Finis hujus judicij remotus & communis cum reliqui

liquis est, ut jus cuique suum autoritate publicâ reddatur *l. 4. C. de his qui ad Eccl. l. 13. C. de jud. adeoque* Justitia, pax & tranquillitas in Republicâ vigeant.

§. 2. Propinquus & proprius manutententia in possessione, ne scil: quis in possessione sua turbetur, vel impediatur, multò minus eâ privetur *l. fin. C. de rei vind. l. fin. C. si per vim vel al: mod: C. 7. X. de privil. in 6. Schurff: cent. 3. Conf: 27.* Rixæ item, jurgia & cædes avertantur. Sæpè etenim super possessione, obtinenda partes pro libello enses vertunt, clypeosque & sævos tridentes offerunt, *Dd. in l. quisquis C. quor: appell:*

§. 3. Effectus ipsa possessio (quamvis non vera, sed momentanea) ejusque fructus & utilitates, gaudet enim omnibus commodis possessionis *gl in c. consultationis X. de off: deleg: Cont: ad d. l. un: rubr: in: dub: & decid: n. 38.* veluti; perceptio fructuum *l. 22. C. de R. V. 48. ff. d. acquir: rer: dom: quasidominium d. l. 48. D. de A. R. D. l. 136. de R. J. l. fin. C. de R. V.* Jus resistendi propriâ autoritate *l. 29. §. 1. ff. ad L. Acquir: & ejusmodi alia, vide Wesenb. Par. de acquir: vel amit: poss: n. 7. Treut: p. 2. Disp. 21. th. 5.*

TIT. VI.

De

AFFINIBUS ET CONTRARIIS.

§.

§. 1. Affinia sunt reliqua judicia Summaria, quæ magno numero congesta à *Mar. d. p. 4. dist: 9. Zang. d. p. 1. c. 1. Ord: Cam: p. a. tit: 3. Jacob: Schult: Observ: 3. per tot:*

§. 2. Contrariæ tandem sunt exceptiones, veluti rei judicatæ, litis finitæ, transactionis, pacti conventi, vitiosæ possessionis, violentæ, scil: clandestinæ & precariæ *Pruckm: d. l. n. 62.* Dominij, in recuperandæ quidem interdico, si ~~de~~ respondendo consentiat *Capic: dec: 28. Cont. ad d. l. un: limit: 2. §. 5. n.*

C 3

455.

4. § 5. § 5. n. 21. *tex. in l. si Coloni C. de agr. & cens. Gail. 2. O. 75. n. 3. & seqq.* In retinendæ verò *Cont. d. limit. 2. n. 21. & adipiscendæ, Idem Cont. limit. 12. n. 4. & 6. & lim. 2. §. 6.* Si in continenti probata fuerit. *vid. Men. rem. ret. 3. n. 671. & seqq. Capic. decis. 124. n. 28. & seqq. Cont. d. lim. 2. §. 4. & lim. 12. n. 5. Præscriptionis, Autor. modo alleg. Fach. lib. 8. Controv. c. 13.*

§. 3. Sententiâ quoque in possessorio Ordinario vel petitorio, pro actore lata, per quam nimirum sententia interlocutoria lata in Summarijsimo, vicissim tollitur; Quo casu momentaneus Possessor una cum fructibus possessionem restituere tenetur *ref. Pruck. d. loc. ex Matth. Casiriv. ad Masuer. d. 1. de poss. utpote juri consentaneum.*

§. 4. Sed an hoc casu, victo in Summarijsimo, condemnatus postea in Ordinario Possessorio vel petitorio, cogatur extemplo, nulla interjecta appellatione possessionem restituere, an verò remedijs suspensivis, uti contra istam sententiam possit, quæritur? *Men. d. ret. poss. rem. ult. n. 59.* nullum remedium suspensivum admittit. Contrariam tamen, salva ejus auctoritate, sententiam suadet, quòd in ordinario judicio ab omni sententia regulariter appellare liceat, nec hic casus uspiam, exceptus reperiatur.

§. 5. Id quod multò magis de Leutationibus in foro Saxonico asserendum, per ea ea quæ supra *tit. 4. §. 41.* adducta.

§. 6. Victor autem in possessorio summarijsimo, quamvis postea in petitorio causa cadat, ad restitutionem expensarum & interesse non tenetur; causam siquidem justam litigandi fovet. *Dn. Carpz. lib. 1. tit. 2. p. 18.*

§. 7. Cæterum contrariorum loco remedia quæq; suspensiva supra *tit. 4. §. 39. & seqq.* enumerata, substitui possunt.

§. 8. Tantum. Monitus meliora sequi non erubescò.

Deo Ter Opt: Max: sit laus, honor & gratiarum actio, nunc & in infinita secula.

Corol-


Corollaria.

1. *Constitutio Aurea Bullæ Caroli IV. vicijus Electorum filij anno 18. completo ad legitimam ætatem perveniunt, bonorumq; administrationem accipiunt, ad reliquos principes non pertinet.*
2. *Jure territoriali gaudent quoq; Civitates Imperiales*
3. *Vnde in ejusmodi Civitatibus Senatus catholice religioni unâ cum reliqua turba additus civibus aliquot publicum in Augustanæ Confessionis exercitium quærentibus deferre non tenetur.*
4. *Vi pacis Religioſe miniſtrum Eccleſiæ à patrono Augustanæ Confessionis præſentatum collator Pontificius instituere cogitur, non attento, quòd Eccleſiaſticam ipſius cenſuram ſuſtinere non poſſit.*
5. *Filius per ſubſequeus matrimonium legitimatus in feudum ſuccedit; per reſcriptum Principis legitimatus non item.*
6. *Venatio nec inter Regalia, nec ſervitutes reſertur, ſed proprium quoddam jus conſtituit.*
7. *Dominus Emphyteuſeos poſt elapſum tempus canonem recipiendo juri Caducitatis renunciat.*
8. *Pri-*

8. Privilegium tacite hypothecæ pupilli in bonis tutoris ad ipsius pupilli hæredes etiam extraneos transit: Dn. Carpz. Resp. lib. 4. t. 4. r. 33. contra Berl: & alios.

9. Filius fidei commissio gravatus jure Canonico duplicem quartam legitimariam scil: & Trebellianicam deducit; quæ dispositio usu recepta est

10. Petitorium & possessorium, excepto interdicto Retinendæ, cumulari possunt in uno eodemq; judicio.



Ad Clarissimum

Dn. Candidatum Compatrem & Amicum
veterem plurimumque dilectum:

Quos titulos meritis dudum es, Hos impiger urge,
quod superest Spatij, confice; prompte pedes?
Prompte animumq; simul; Cathedram, me Præside, scande,
Et Tutor scripti doctus adesto Tui.

Ter seni modo sunt anni, cum Tyro novellus
Lustravi primas, Te moderante, & thesês
Hinc latus, gratusq; vicem Tibi redde; precatûs:
Inde Tibi eveniant commoda, & inde foro:

Deproperab.
gratulabundus.

PRÆSES.

F I N I S.

01 A 6620

ULB Halle


3

002 937 557



10 17







17.
i. n. j.
DISPUTATIO INAUGURALIS

De
**SUMMARIISSI-
MO POSSESSORIO**

Quam
Ex Decreto & Autoritate Magnifici Jctorum
Ordinis in Celeberrima Academia Wittebergenfi
SUB PRÆSIDIO.

DN. GOTHOFREDI SVEVI
Jcti, Cod: Professoris Publici, Collegij Juridici nec
non Curia Provincialis & Consistorij Ecclesiastici, ut & dicasterij
Lusatia Inferioris Assessoris gravissimi, Patroni sui ut meriti,
ita demerendi

PRO LICENTIA

*Summos in Vtroq; Jure consequendi honores publico Exa-
mini submittit*

CHRISTIANUS WESSE
Curia Provincialis & Consistorij Ecclesiastici.

Advocatus Ordinarius
Ad diem 12. Julij
Horis ante & pomeridianis
In Auditorio Majori

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typographi
ANNO M DCLV.